

Andreas Amsel   Johannes Schliemann

## **Disputatio Iuridica De Testamentis,**

Rostochii: Kilius, 1658


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735191247>**

Druck   Freier  Zugang



Testament

R. U. für 1658  
Andr. Amsel (Praes.) /a  
Joh. Schliemann (Resp.)



DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
TESTAMENTIS,

*Quam*

Adspirante Divino Numine,  
Authoritate & Consensu,

*Nobiliss. ac Ampliss.*

FACULTATIS JURIDICÆ,  
PRÆSIDE

ANDREA Amfels / L.

Publicæ ventilationi  
submittit

JOHANNES Schlieman /

Rostoch.

*In Auditorio Majori die  
7. Septembr.*

horis matutinis.



ROSTOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII,  
Acad. Typ. ANNO M. DC. LVIII.

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

*Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo, ac Consultissimo*

VIRO

DN. DANIELI NICOLAI,

J.U.D. Serenissimæ, ac potentissimæ

Regiæ Majestatis Suevicæ Consiliario, ac Du-

catuum Bremensis, & Verdenſis Cancellario

Gravissimo.

S.

**M**orem Græcum & antiquum, quo diu Theſſali, & Athenienſes priſci uſi, quemq; Romulus diſcretiſſimè à plebeiſ. prudentiſſimo conſilio inſtituit, dū Patriciis plebeiſ commendavit, optione cuiq; è vulgo datâ, ut quem veller Patronum ſibi legeret, facturum quicquid pro ſiliis paremtes ſolent, referente Dionyſ. Halic. lib. 2. A. R. oppido nunc ſequor; Poſtquam TE Virum Magnificū, pervagatâ multarum & magnarum virtutū ſamâ includum, & immortalium, meorum ſtudioſorum Academicorum Patronum nuntupo. Tuâq; Magnif. tot tantiq; immortalibus beneficiis totum conſummatum, & celeberrimum nomen, ego levidentiſſimo impreſentiarum argumento devotè compello. Si forſan quemadmodum aliis quamplurimis, ſic & mihi, ſub Tuâ Magnif. tutiſſimo patrocinio, & gratiſſimâ umbrâ, felici aliquando eſſe liceat. Qui neq; poſtquam ex ephebiſ exceſſi, id unicè præter cætera exoptavi maxime, ut magnorum Virorum & Mæcenatum aberrimos fruclūs delibare mihi quoq; eſſet conſeſſum. Cujus in rei argumentum cum præſens Exercitium Juridicum Academicum-Forenſe, ſeu Theoretico-Practicum propoſuerim, id ipſum Tibi præcipue Viro Magnif. Patrono meo maximo, & Promotori æternū ſuſpiciendo, humillimè offerendū, & dicendū putavi: totū rogitans, ut id. Veſt. Magnif. quanta longè inferius ſit, quam tantū Virum deceat, ſingulari, & innatâ quâ celebris eſt humanitate admittere, fidelis Clientis certam indicinam agnoſcere, & me hac teſſerâ in Clientelam & Patrocinium auguſtiſſimum recipere velit. Quam cum tota Nobili familia Divinæ proteclioni devotè commendo,

Vestræ Magnif. Nobil. & Amplit.

humillimus cliens

JOHANN. Schlieman/



Mne jus, quo utimur, vel ad Personas pertinet, vel ad Res, vel ad Actiones. §. f. *J. d. jur. N. G. & C.* Res a. vel in nostro Patrimonio, vel extra Patrimonium nostrum habentur, *prin. J. d. R. D.* Quæ in Patrimonio, sive in bonis habentur, sunt vel Corporales, vel Incorporales t. *J. d. reb. corp. & inc.* Inter has referatur Hereditas *d. pr. J.* Cujus duplex Condicio est, nam vel ex Testamento, vel ab Intestato ad nos pertinet. §. f. *J. per quas pers. nob. acq.* Illa, hac potior. *l. 39. d. acquir. hered. l. 1. pr. unde lib. l. 89. d. R. J.* & defertur si testamentum legitime ordinatum fuerit. *arg. l. 1. d. Injust. rupt. l. 23. d. leg. 3.* Quod quomodo fiat, More Academico, cum Bono DEO, jam proponemus.

I. Cum juxta Platonem in Cratylo, prima semper quæstio esse debeat de verbis, licet de rebus potior sit, & Quintil *in proæm. l. 8* curam verborum, rerum velit esse sollicitudinem: merito *ετυμολογία* vocis præmittimus. Testamentum autem ex eo appellatum, quod testatio mentis sit, tradit Justinianus *pr. J. d. testam. ordin:* non ad arguendum verum, sed allusione quadam Erymologicâ, rei & voci fortuito, & ex accidente speciose conveniente. Imitatus S. Sulpitium, qui quo efficacius vim rei exprimeret, Testamentum dixit esse verbum duplex, à contestatione mentis compositum Gell. *6. 12.* cujus modi derivandi ratio auctoribus familiarissima *l. 1. pr. d. acquir. posses. l. 1. d. novat. l. 2. §. 2. d. R. C.* Ut frustra Gellius *d. l.* Servium propositæ, & Valla *6. eleg. 36.* Justinianum repetitæ allusionis reprehendat: cum minime sit ignotum, Testamentum verbum non compositum, sed simplex; veramq; & ingenuam originationem à testando esse, nec similem convenientiam verbi & rei, alijs ejusdem productionis verbis evenire; aut ita declarari posse, contra quam Gaddeus existimat *in l. 164. n. 6. d. V. S.* quem explodit Vinn. *ad pr. J. h. t. n. 1.*

II. Testamentum indefinitè, simpliciter, & generaliter consideratū, origine, & essentiali formâ est ex Jure Gentium Clar. §. *testamentum q. 2.* definitè autem, & specialiter, ex Jure Civili Romano *arg. l. 8. §. 1. h. t.*

Sutholt. *ad Inst. differt. 7. aph. 5.* Quo respiciunt Interpretes, quando originem testandi ad jus Gentium, formam vero ad jus Civile referunt, formam scilicet propriam, & modum testandi peculiarem cujusque Reipublice. Quos immerito notat Sutholt. *d. l. cū nullus id existimet rem ullam vel momento temporis absque forma actu existere posse, aut militum Testamenta, utpote in simplicitate Juris gentium relicta, formam carere.* Scire, ut omnia Vinn. *d. l. n. 3. Ut liceat morituris disponere de rebus suis, ex Jure gentium esse ut non aliter liceat quam hoc, vel illo modo, ex Jure civili* Vid. Tacit. *de morib. German. l. 13. §. 2. d. testam. milit. junct. l. 17. §. 1. d. penis. l. 1. C. d. ss. eccles.* Cujus questionis ulum exemplificat Clar. *d. §. testam. q. 2.*

Def.

III. Definitor à Modestino ex re ipsa, quod sit, *Voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, l. 1. qui testam. fac. pos.* Genus definitionis est *sententia, h. e. certa l. 14. inf. d. t. firma, & immota, ( nisi testator eam mutet l. 4. d. adimend. legat. ) animi dispositio. Translata vox à sententiis judicum, quæ immotæ, & instar legis obtinent; unde Justin. jubet, ut lex sit testatoris voluntas, sicut & antiquissima lex Romanorum secundum patriam linguam disposuerat, *Uti legassit quisque, de re sua, ita jus esto. Nov. 22 c. 2.**

Oportet autem sit *justa* h. e. solennis, legitima, plena, & perfecta, secundum regulas J. civilis *l. 4. h. t.* ad quas imprimis pertinet, ut directam contineat heredis Institutionem, quod essentialiter testamento, quæque sola absolvi potest. *l. 1. §. 3. & 5. d. hered. Instit.* Cujus respectu Codicillis opponitur *§. 2. Inst. h. t. l. 14. C. eod.*

*Voluntatis, h. e. nostri velle, vel ejus quod volumus post mortem nostram fieri, ut habeat unusquisque licentiam decedens, quod optaverit relinquere. arg. l. 1. C. de ss. eccles.*

Additur *nostræ.* Nam constanter Veteres decreverunt, quod testatorum Jura ipsa perse firma esse oporteat, nec ex alieno arbitrio dependere *l. 32. p. d. hered. Instit.* quæ ratio *l. 6. pr. h. t. junct. l. 45. d. R. J.* Unde inferitur, quod nec ad alterius interrogationem, & instantiam, quis testari possit, *Wel. ad π. n. 8. h. t.* Quod tamen admitti potest, si absit suspicio alicujus incussi, aut imminentis terroris, & persona adhuc sanæ mentis, & integre loquelæ sit *Bach. ibid.*

Verba *de eo quod quis vult fieri,* designant Materiam circa quam versatur voluntas. Unde ipsum Testamentum voluntas dicitur. *l. 14. §. 1. d. de vers. & tempor.* quæ etiam verborum significationi præfertur, si de ea sensisse testatorem manifestum est. *l. 69. pr. d. leg. 3.* modo non sit contra Edi-

cta Im.

Et Imperatorum, Leges, aut quę legis vicem obtinēt, bonos mores, aut de-  
risoria, aut hujusmodi quam Praetores improbat *arg. l. 14. d. condit. Instit.*

Post mortem, scilicet naturalem, quę proprię mors est, nam eo tempore pri-  
mum robur accipit, & valet testamentum, ante vero eam nihil heredi, legatariis,  
& fidei commissariis debetur. Cum viventis nulla sit hereditas *l. 1. d. hered. vel act. vend.*

*Suam, non alterius.*

IV. Consona huic illa Ulpiani: *Testamentum est mentis nostrę justa contes-  
tatio, in id solenniter factum, ut post mortem nostram valeat. in fragm. tit. 21. pr.*  
Quod Modestinus voluntatis sententiam, Ulpianus contestationem, & in *l. 20. §. 8. b. tit. supremam contestationem* dixit: quoniam non est simplex voluntatis  
enunciatio, aut demonstratio, sed testata, hęc declarata, & exposita apud eos,  
qui ut testes essent, rogati sunt, hoc modo. *Hęc uti his tabulis, ceris vę scripta  
sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaq; vos Quirites testimonium perhibetote.* Ulpian.  
*d. l. §. 8. in f.* Brevius definitur legitima successoris designatio.

V. Dividitur testamentum in Publicum, quod publicā fide ordinatur,  
vel Privatum, cujus fides est privata, ex testibus, & scriptura *l. 19. C. d. testam.*  
Doncl. *in l. 21. n. 2. & 3. c. eod.* Hoc vel commune est omnium civium Ro-  
manorum, quod Paganicum: vel privilegiatum, propriū militum, quod Mi-  
litare dicitur. Illud fit adhibitis certis solemnitatibus, Hoc omissis iis vel om-  
nibus, vel quibusdam: Utrumq; rursus est vel scriptum, vel nuncupativū  
*§. 3. & fin. l. h. t. l. 21. §. 2. c. d. testam.* Schnob. *disp. pand. 16. th. 3.*

VI. Publicā fide, sive publico testimonio munitur testamentum, quod fit  
coram Principe, vel apud acta inferioris Magistratus, sive iudicis *d. l. 19. c. d. testam.*  
quo casu ne testes quidem requiruntur, cum Principis, vel Magistratus  
autoritas testium presentiam, ac reliqua solennia suppleat, omnemq; falsi-  
tatis suspicionem tollat. *d. l. 19. c. arg. l. 34. pr. c. d. donat.* Quod hodiernam  
praxin, & Camera observare, testatur *Myns. 6. obs. 29.*

VII. Solum igitur Privatum, seu Paganicum testamentum, legibus ad so-  
lennitatem ordinationis pertinentibus, adstrictum est, Privilegiatum his om-  
nibus solutum, Paganorum testamenta ut recte fiant, & J. Civili rata sint,  
cum Gaii animadvertendum, *An is qui fecerit testamentum habuerit testa-  
menti factionem, deinde si habuerit, an secundū regulas Juris civilis testatus sit. l. 4. b. t.*  
Secundum quod (1) personam testantis, (2) formam & modū testandi,  
(3) res, quas testamentum necessario complecti debet, requirimus. *Vinn. ad rubr. Inst. h. t.*

VIII. Testamentum facere possunt omnes, qui ad testandum sunt habi-  
les, nec



les, nec prohibentur, vel ob defectum aliquem, vel conditionem personæ  
Ob defectum 1. *Ætatis*, ut Impuberes §. 1. *Inst. quib. non est permis.* l. 5. l. 19. h. t.  
l. 4. c. eod. quoniam nullum perfectum ejus ætatis hic judicium est, d. §. 1. *Inst.*  
Ne quidem cum tutore, cum ex veterum decreto, testamentorum jura ipsa  
per se firma esse oporteat, non ex alieno arbitrio pendere. l. 32. pr. d. *hered. Inst.*

IX. II. *Corporis* ut Muti, & Surdi §. 3. l. d. t. Olim & si quis mutus tantum erat, aut  
Surdus, testamenti faciendi jus non habebat, nisi specialiter à Principe impe-  
trasset, ut sibi testari liceret, l. 7. h. t. l. pen. unde cognati. Cujus rationem assi-  
gnat Paulus 3. sent. 4. quod neq; mutus testes rogare potest, nec surdus audire  
perhibentes testimonium. Unde consequens, cum nemo quicquam à Princi-  
pe impetrare possit, nisi qui preces suas, aut voce, aut scripto exponat, mutos  
scribere nescios, omnino testari non potuisse. Justinianus ex singulari, & per-  
sonali hoc privilegio, jus commune fecit, & omnibus mutis, & surdis, remis-  
sà necessitate supplicandi, testari permisit, hac tamen distinctione, ut si quis  
mutus & surdus simul sit naturà, planè non possit, si casu, possit, si modo li-  
teras didicerit, at si quis tantum mutus sit, aut surdus tantum, sive naturà, si-  
ve morbo, huic jure testari liceat, eo modo, quo per rerum naturam possit,  
scripto, vel lingua l. 10. c. qui test. fac. pos. Quà Constituit. ne mutus quidem  
tantum, literarum ignaro, testamenti factio permittatur, cum talis nec à Principe  
testandi licentiam impetrare potuerit. Ubi id absurdi obiter notandum,  
quod Justinian. credidit, eum qui surdus natus est, audire posse, si quis super  
cerebrum ejus loquatur. Cum non sint naturaliter surdi, qui non iidem sint  
& muti, teste Plinio l. 10. c. 69. Vin. ad §. 3 l. qu. non. e. p.

X. Cæcus cum testes accire, & rogare, sibiq; testimonium perhibentes  
audire possit, & olim testari potuit, Paul. 3. sent. 4. & nunc potest §. 4. 7. h. t.  
quanquam formâ accuratiore, & singulari, ut fraus omnis, cujus hic major  
metus, evitetur l. 8. c. qui test. fac. pos. ita ut cæcus heredem nuncupaturus,  
præter ordinarium numerum testium, adhibeat tabularium, aut si ejus copia  
non sit, octavum testem, qui voluntatem nuncupantis (nam aliter nequit  
scripturâ excipiat, cui deinde testes omnes, & tabularius subscribant, eamq;  
obsignent, uti sit in testamento scripto, aut si prius testamentum suum scripto  
comprehendi curavit, tabularius coram testibus eam scripturam palam le-  
gat, eaq; lectâ, cæcus testetur hanc suam voluntatem esse, deinde omnes  
subscribant, & subsignent d. l. 8. c. Ubi hæc singularia, 1. quod non sufficiat  
voluntatis nuncupatio, nisi & scriptura accedat, 2. adhibitio octavi testis, qui  
testamentum subscribat, aut antea scriptum recitet, 3. quod is testis debeat  
esse tabularius publicus, si ejus copia sit. 4. omnium subscriptio, & subsigna-  
tio.

rio. Vinn. ad §. 4. *Inst. quib. non est permis.* Quibus solemnitatibus etiam in Codicillis opus esse arbitramur d. l. 8. v. *quæ in eundem.*

XI. III. *Animi*, ut (1.) Furiosi §. 1. *Inst. quib. non est per. l. 17. l. 9. C. eod. (2)* *Mente capti, l. 2. l. 13. in fin. d. inoff. testam.* nisi eo tempore quo dilucidum furiosi habent intervallum d. §. 1. *Inst. d. l. 9. c. qui test. fac. pos.* Ut tñ. id uno eodemq; tempore remissionis rotum perficiant, d. l. 9. c. Testamentum autem conditum à furioso, quem certum est habuisse dilucida sanæ mentis intervalla, incertum a quo tempore factum, si ita ordinatum fuerit, ut quivis paterfam. sanæ mentis dispositurus fuisset, credendum intervalli tempore factum, & pro testamento respondendum, Mynsi. 2. *obs. 41. Grass. §. testam. q. 21. n. 4.* Quentadmodum S. Tuditani, certæ, ac notæ insanæ testamentum à Centum-Viris confirmatum, magis quod scriptum esset in tabulis, quam quis scripssisset, considerandum existimantibus, refert Val. Max. l. 7. c. 8. Id etiam quod ante furorem fecerunt testamentum valet, d. §. 1. *Inst. quib. non est per.* Senium vero, & infirma valetudo, modo sanitas mentis adfit, testamenti factionem non impediunt l. 3. §. 1. c. *qui test. fac. pos. (3.)* Prodigi §. 2. 3. *quib. non est permis. l. 18. pr. h. t.* quales notantur l. 1. *pr. d. cur. fur. l. 12. in f. d. rat. dat. ab his.* postquam administratio bonorum ipsis interdicta est d. §. 2. & d. l. 18. *pr.* (nam interdictione vetustius ratum est d. §. 2. l. 1. & d. l. 18. *pr.*) Quippe qui non saniore iudicio, quid de rebus suis post mortem fieri velint, statuturi creduntur, quam eas tractarent, si libera earum administratio ipsis permetteretur. Quod tñ. si bene posteritati sanæ consuluerint, Princeps ex benignitate conservare potest, arg. ejus quod de furioso modo diximus.

XII. Ob conditionem personæ prohibentur (1.) Peregrini, aut ad peregrinitatem redacti, quales sunt, quibus aqua, & igni interdictum est, vel deportati l. 17. §. 1. d. *penis. l. 8. §. 1. & 2. h. t. l. 1. §. 2. d. leg. 3.* quia eis succedit fisco l. 2. c. d. *bon. proscr. (2)* Servi, tum nostri l. 16. *pr. h. t.* tum hostium, l. 8. *pr. eod. §. fin. Inst. quib. non est perm.* Quanquam horum testamenta duplici fictione, Legis Cornelix in casum mortis, & Postumini in casum redditus conserventur d. §. *fin. Inst. (3.)* Banniti, Gail. 2. de p. p. n. 24. (4.) Monachi, *aut bent. ingressi. d. 33. eccles. Nov. 5. c. 5. (5.)* Obsides; nisi eis permittatur, quia velut pignoris jure tenentur, l. 11. *h. t. (6.)* Qui de statu suo dubitant l. 14. *cum seq. h. t. l. 1. pr. d. leg. 3. (7.)* Transfugæ, cum jura civium amittant, & hostium numero habeantur l. 19. §. 4. *de captiv. (8.)* Quos lex jubet improbos intestabilesq; esse, quarlis est ex Seco ob crimen famosum damnatus l. 18. §. 1. *h. t. l. 5. §. 9. de injur. ex Constitut. Apostata, & Hæretici l. 3. C. de Apostat. l. 4. c. de Hæret. ex XII. tab. Antestatus, & Libripens, si postea testimonium perhibere detrectassent. Gell.*

15. 13. (9.) Olim etiam, omnes ex capitali crimine ad mortem naturalem, vel civilem damnati: quoniam statim atq; sententiam passi essent, illi pænæ servi efficiebantur, & bonis publicatis libertatem, hi civitatem amittebant *d. l. 8. §. fin. l. 6. §. 6. de injust. rup. l. 12. de pæn.* Bach. *ad Tr. vol. 2. disp. 10. t. 2. l. h.* Verum cum Novellis I. L. servitus pænæ sublata sit, & bona capite damnatorum, extantibus ascendentibus, & descendentibus, usq; ad tertium gradum non publicentur. *Nov. 17. c. 11. No. 22. c. 8. Nov. 134. c. ult. unde auth. sed hodie C. d. don. inter vir. & uxor. & auth. bona C. d. bon. profc.* ab ea etiam prohibitione eatenus recessum esse arbitramur, Schnob. *dis. π. th. s. in f. h. t.* Bach. *ad Wes. ad π. n. 13. arg. l. 6. v. testandi. C. de incest. nupt. (10.) Filiisfam. pr. Inst. quib. non est. per. l. 6. pr. h. t. l. 3. §. 1. l. pen. c. eod. ob 12. tab. Paterfam. uti legasset super familia, pecuniarum sua, ita jus esto.* Cum etiam nihil suum habuerint, de quo testari potuerunt, utpote quorum peculium olim, sicut servorum, unjusmodi, & pleno jure parentibus acquisitum fuerit, Ulpia. *in frag. tit. 21. §. 9. §. 1. Inst. per quas pers. cuiq; acquir.* Quod etiamnum verum. Quicquid enim hodie filiisfam. proprium est, in eo non ut filiisfam. sed ut patresfam. considerantur. Nec, quamvis parentes eis permiserint, *d. pr. Inst. l. 6. h. t. cū nō sit in privatorum arbitrio, jus Publicum mutare l. 27. l. 45. in fin. d. R. J.* Cui consequens, eos nec legatum, nec fideicommissum relinquere, aut Codicillos facere posse. *l. 2. d. leg. 1. l. 1. §. 1. d. leg. 3. l. 6. §. pen. d. Jur. codicill.*

XIII, Aliud dicendum, si filiusfam. testamentum cum consensu patris condiderit, additâ hac codicillari clausulâ, *si non valeat Jure Testamenti, valeat jure codicillorum, aut cujuscunq; ultime voluntatis*, Quo casu voluntas filii in vim donationis mortis causâ sustinebitur, cum appellatione ultimæ voluntatis, etiam mortis causâ donatio contineatur, & clausula hæc, *aut cujuscunq; ultime voluntatis*, in nulla alia specie ultimæ voluntatis verificari possit, quam patris consensu facere potest, *Clar. §. donatio q. 6. n. 8.*

XIV, Excipiuntur ab hoc Jure Filiisfam. castrense, vel quasi castrense peculium habentes, qui de his bonis, beneficio Principum testari potuerunt *l. 1. pr. d. testam. milit. §. fin. Inst. eod. l. fin. c. d. inoff. testam. l. pen. & ult. c. qui testam. fac. pos. l. 7. §. fin. d. donat.* & quoad cætera quoq; hoc peculio plenissimo jure, sub qualitate patrūfam. usi sunt, *l. 2. d. Sc. Maced. l. 4. d. judic. excepto, quod intestati morientes, in eo etiam filiorum fam. patiebantur exitum, l. 2. l. 9. v. idem referbam l. 14. d. castr. pecul.* Cui tamen juri posteriorū Principum Constit. derogatum, constitutumq; ut si intestati decederint, nullis liberis, vel fratribus superstitibus, ad parentes eorum jure communi, h. e. non jure peculii, sed successionis, & hereditatis pertineat *d. pr. Inst. quib.*

quib. non est permis. Idem & in filiorum f. bonis adventitiis, & materni generis, lucrisq; nuptialibus obtinere placuit l. 3. l. 4. C. d. bon. que lib. l. f. C. com. de succes. Quod hodiè jure Novellarum liquidum, quo pater non ordine tertio, sed secundo cum matre & fratribus defuncti, succedit. Novel. us. cap. 2.

XV. De peculio ergo adventitio, in quo filiusfam. tantum nudam proprietatem, pater Ususfructum habet, quanquam quadantenus vicem patrisfam. in eo sustineat, filiusfam. testatur, d. pr. Inst. in f. qui. nō est. per. Quod jus, an ad eos quoq; casus extendi debeat, quibus filiofam. plena, & solida proprietates hujus peculii acquiruntur? non satis convenit. Unus jam tum tempore compositionum Institutionum erat, ut si filiusfam. hereditatem, legatum, aut fidei commissum, patre dissentiente, propria autoritate adierit, vel agnoverit l. fin. pr. vers. five. c. d. bon. que lib. Novello Jure plures, ut in rebus eà lege filiofam. datis, ne ususfructus ad Patrem perveniat; Item in hereditate fratris, aut Sororis, ad quam una cum filio pater admittitur, & in rebus filio delatis, patre sine causa divortium faciente, auct. excipitur. cum 2. seqq. C. d. bon. que lib. Quod omnino existimamus, l. pen. C. qui testam. fac. pos.

XVI. Excipiunt interpretes communiter duos casus, quibus filiusfam. rectè, etiam de bonis adventitiis, testatur, utiq; consentiente patre, si quid relinquat in pios usus, si liberos suos heredes faciat: Illic favore piæ causæ, hic liberorum. Clar. S. testam. q. 5. n. 7. Christin. Vol. 4. decis. 4. n. 6. qui hoc posteriori casu, nec consensum patris requirit.

XVII. Nec ad rem pertinet, si servus, Impubes, &c. (idem n. juris in reliquis,) post testamentum conditum Civis Romanus, pubes, &c. facti fuerint, & decesserint. §. 1. Inst. quib. non est per. l. 19. h. t. Hoc jure generali, si quis tempore testamenti facti non habuerit testamenti factionem, testamentum ab eo factum non valeat, etsi postea testamenti factionem habere ceperit. arg. l. 4. h. t. l. 1. §. 2. dum tab. & Catonianâ regulâ l. 1. pr. d. regul. Caton. Cum, quod initio vitiosum est, tractu temporis non possit convalescere. l. 29. d. R. 3.

XVIII. Regulæ Juris civilis secundû quas testari oportet, pertinent vel ad modum testandi extrinsecum, seu ad externas solennitates, vel ad intrinsecum, seu ad res, quas testamento, ut valeat, complecti oportet.

XIX. Initio olim duo erant testamentorum genera, alterum Calatis Comitibus appellatum, quo in pace & otio; alterum procinctum, (à cingendo, pro quo rectius in procinctu) quo in prælium exituri utebantur, §. 1. Inst. h. t. Gell.

1. Gell. 15. c. 28. Ulp. in frag. tit. 21. §. 1. Illi non dissimilia sunt ea testamenta, quæ precibus Principi oblatis inferuntur, juxta l. 19. c. h. t. quæq; inter acta Magistrat<sup>o</sup> Municipive referuntur, de quib. supra diximus. Cum Princeps post legem Regiam, quodammodo universum populû representet, & quod Publica fide fit, quasi totius civitatis præsentia factum intelligatur d. l. 19.

XX. Accessit deinde tertium genus testamentorum, quod dicebatur per æs & libram, interveniente Emancipatione, h. e. imaginariâ quadam, venditione, quinq; testibus, & libri pende, civibus Romanis, puberibus, præsentibus, & eo qui familiae emptor dicebatur, qui primum ipse heres futur<sup>o</sup>, §. 1. Inst. h. t. Ulpian. in frag. d. tit. 21. §. 2. postea alius ab herede §. 10. Inst. d. t.

XXI. Sed cum duo priora genera testamentorum, ex veteribus temporibus in desuetudinem abierint, & quod per æs & libram fiebat, etiam partim in usu esse desierit d. §. 1. Inst. ex Edicto Prætoris forma alia simplicior, & expeditior, faciendorum testamentorum, introducta est, nullam emancipationem desiderans, sed septem testium signa, antea J. civili non necessaria §. 2. Inst. d. t. Cui postea constitutionibus Imperatorum subscriptio testium addita, ut ita tripertitum hoc jus sit, & testes quidem, eorumq; præsentia uno contextu, testamenti celebrandi gratiâ, à Jure civili; numer<sup>o</sup> testium, eorumq; signacula, à Jure Prætorio; subscriptiones vero testatoris, & testium, ex constitutionibus Imp<sup>er</sup>. descendant, §. 3. Inst. d. t. de quib. singulis breviter videbimus.

XXII. Testes etiam antiquissimis temporibus in testamentis, quæ per æs & libram fiebant, adhibitos fuisse, *l. p. 20.* diximus scil. nequid falsi in re tam maximi momenti, & ob id olim in Comitibus tantum celebrata, committeretur. *l. fin. c. d. fidei com.* adeoq; veritas rei gestæ per eosdem possit probari, *arg. l. 11. de testibus.*

XXIII. Testes autem adhiberi possunt ij, cum quibus testamenti factio est, §. 6. Inst. h. t. h. e. qui heredes institui, aut ex alieno testamento vel sibi, vel alii acquirere possunt; nisi alias vel naturâ, vel lege prohibeantur, & vel planè, vel secundum quid sint in habiles.

XXIV. Natura inhabilis est, & testis in testamento esse nequit (1.) Impubes d. §. 6. Inst. h. t. qui etiam antiqua illa testandi formâ per æs & libram adhuc valente, testis esse non poterat §. 2. Inst. h. t. propter imperfectum hujus ætatis judicium, quam ob causam nec in aliis negotiis testimonium ejus recipitur. *l. 3. §. 5. l. 19. §. 1. de testib.* Sed cum in aliis testimonii dictionem habeat post pubertatem de his, quæ pubertati proximus vidit, utiq; si vero simili-

Similiter ab impubere capi potuerunt, hoc loco speciale est, quod ne puber  
 factus, testimonium pro testamento dicere possit, ad quod impubes adhibi-  
 tus fuit. Vinn. *ad §. 6. Inst. h. t.* ob majorem credimus testamentorum sin-  
 ceritatem, ut omnis fraus abesset. (2.) Furiosus, & mente captus, *d. §. 6. Inst.*  
*l. 20. §. 4. h. t.* quia nihil intelligunt, nisi quo tempore furoris remissionem  
 habet furiosus. *d. l. 20. §. 4. (3.)* Mutus, Surdus, *d. §. 6. l. h. t.* quia ille pro testi-  
 monio quid actum sit eloqui non potest, hic, quid dicatur sensu non perci-  
 pere, nec moneri, quid testator acturus sit, plurimumq; qui surdus, idem  
 & mutus, testes autem in dicendo testimonio interrogandi *l. 1. §. 2. testam.*  
*quemad. aper.* nec testimoniis, sed testibus credendum, *l. 3. §. 3. d. testib. (4)*  
 Cæcus, quanquam de eo nihil expresse traditum, cum testatorem videre  
 nequeat, quod in omni testamento requiritur. *l. 9. C. d. testam.* nec signum  
 in scripto testamento recognoscere *l. 4. 7. testam. quemad. aper. arg. l. 1. §. 5.*  
*v. casum. d. postul.* Non etiam is, qui sermonem testatoris non intelligit, cū  
 notā linguā admoneri queat, cui rei adhibeatur, & ipse testimonium dicere,  
 nec singula percipere necesse sit. *d. l. 20. §. 9. h. t.* Quod fallit in nuncupativo,  
 in quo, totum negotium palam explicatur, auribusq; & sermone testium  
 permittitur. Vinn. *ad d. §. 6. Inst. h. t. n. 2.*

XXV. Lege prohibetur, & planè, & in totum inhabilis est (1.) Mulier,  
*d. §. 6. l. 1. 20. §. 6. h. t.* Constit: Maximil: *de anno 1512. von Testamenten* §.  
*die Notarien/Non quod alias dicendi testimonii incapax sit, l. 2. §. 6. h. t. l. 18.*  
*d. testib.* Sed cum certum numerum testium ad actum aliquem lex requi-  
 rit, intelligatur requirere testes graves, & omni exceptione majores. Qui-  
 bus movemur ut nec in Codicillis mulierem testem admissam credamus.  
 (2.) Servus, *d. §. 6. l. 1. 20. §. 6. h. t. (3.)* Deportatus, & Peregrinus, cum cives  
 Romani non sint *l. 17. §. 1. d. pæn.* quales nominatum lex desiderat, *l. 21. pr. c. d.*  
*testam: Asscriptitii autem, & Monachi, testes esse non prohibentur, Bachov.*  
*ad Tr. vol. 2. disp. 10. th. 4. lit. 1. (4.)* Prodigii, *d. §. 6. l. 18. pr. h. t.* ob notam in-  
 terdictionis bonorum administrationis, quæ fidem testimonii eorum elevat,  
 cum penè furiosorum conditione habeantur. *l. 1. pr. d. cur. sur. l. 12. §. 2. d. tut. dat.*  
*l. 40. d. R. l. (5.)* Quos leges jubent improbos, intestabilesq; esse, *d. §. 6. l.*  
*l. 18. §. 1. l. 20. §. 5. l. 26. h. t.* de quibus supra diximus.

XXVI. Aliæ autem personæ sunt, quæ quidem per se habiles sunt, non tñ  
 rectè adhibentur testamentis omnium, ob causam aliquam privatam, ipsas  
*namq; in* inhabiles facientem. Quæ duplex, conjunctio testis, & testato-  
 ris per potestatem, altera negotium testamenti, ad eum qui testis adhibe-

tur, pertinens. Illa facit, quod in testibus esse nequeat, qui in potestate testatoris est, sive filius sit, sive nepos ex filio: Nec is qui in potestate ejusdē patris est. §. 9. *Inst. h. t.* quemve ab hostibus redemit. *l. 20. §. 1. h. t.* Idemq; juris & si filius f. De Castrensi peculio post missionem, vel ante eā extra castra jure communi faciat testamentum, *d. §. 9. l. h. t.* Nec obstat, in emancipati testamento patrem testem esse posse, in Castrensi autem peculio filiumfam. pro emancipato, & patrefam. haberi *l. 2. d. de. Maced.* Nam refert, utrum quis reverā, & sine exceptione sit paterf. & patri suo extraneus, an in re aliqua pro patrefam. habeatur. Secus si ante missionem in castris, aut in expeditione jure milit: testatur. *arg. d. §. 9. Inst. l. 20. §. 2 h. t.*

XXVII. Ob negotium testamenti quod cū ipso agitur, neq; heres scriptus, neq; is qui in potestate ejus est, neq; pater ejus, qui cum habet in potestate, neq; fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt. Quia totum hoc negotium quod agitur testamenti ordinandi gratia, creditur inter testatorem & heredem agi, quanquam veteres familiae emtorem, & per potestatem ei conjunctos repulerint: Heredi autem, eiq; per potestatem conjunctis, id permiserint, sed ne eo Jure abuterentur. Quam permissionem in juris necessitatem Justin. traduxit §. 10. *Inst. d. t. l. 20. pr. h. t.* Qui tamen in testamento extranei testes fieri possunt; Cum nihil noceat ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi. §. 8. *Inst. h. t. l. 17. d. testibus.*

XXIIX. Legatariis autem, & Fideicommiss. scil. particularibus, & aliis personis eis conjunctis, quas ipsi habent, vel in quarum sunt potestate, testimonium non denegatur, quia non Juris successores sunt. §. 11. *Inst. h. t. l. 22. C. d. testam. l. 14. d. rebus ad ab.* tum quia totum negotium quod agitur testamenti ordinandi gratiā, creditur hodie inter testatorem & heredem agi. *d. §. 10. Inst. h. t.* Et quanquam non principaliter, aliquo modo tamen, & per consequentiam de re legatarii in testamento agatur, eorumq; pecuniariter interfit testamentum confirmari, ne relictum concidat, *l. 14. C. d. fideicom.* Attamen numerus reliquorum testium, ceterarumq; rerum diligentissima observatio, testimonium legatarii ab omni falsi suspitione tuetur, nec potest, nisi improbe, heres fidem derogare testimonio eorum, quorum fidem in sua causa secutus est. Accedit quod Veteres suprema ordinaturi, amicis ferē signatoribus utebantur, quibus amoris testificandi gratiā nihil relinqui posse, durum, atq; inhumanum esset. Quā de re Symmach. *10. epist. 55.*

Quod

Quod jus etiam in Nuncupativis testamentis defendimus. Treutl. *d. h. t. lit. K. ibiq.* Bach. *Dd. in d. l. 22. C. h. t.*

XXIX. Numero testes requiruntur septem §. 3. *l. h. t. l. 21. pr. c. eod.* Sed cum J. Civile in testamento per æs & libram quinque testes, cum libripende, & familiæ emtore, vel ut alii, antestato, exigeret, §. 1. *Instit. d. t. Ulpian. tit. 21. d. testam. §. 1. in f.* Prætor sublatâ illâ emancipatione, & imaginaria venditione, in locum duarum illarum personarum, ut idem numerus maneret, duos testes substituit: Quod etiam in emancipatione liberorum contigisse, autor est Gajus *lib. 1. Instit. tit. 6. §. 3.* rationem numeri quiniarii vid. apud Bach. ad Treutl. *vol. 2. disp. 10. t. h. §. tit. H.* Requiritur autem præcise hic testium numerus ad solennitatem ordinationis testamenti, siue cum de substantialibus quæstio est. Adeo, ut si unus saltè defecerit, totum vitietur testamentum in foro civili. *l. 12. C. d. testam. Bach. d. l.* Qui numerus novissime confirmatus est. Constitutione Maxim. de Anno 1512. §. *Unde sollem/Quamquam Jure Canonico,* (quod tamen in terris Imperii non observatur, Clar. §. *testam. q. 57. n. 2.* Grass. *eod. §. q. 56. n. 3.*) cum presbytero duo, vel tres sufficiant. *c. cum. esses d. testam.* Statuto etiam & consuetudine, minor numerus induci queat. *Mynl. 5. obs. 20. n. 1.*

XXX. Testium præsentia *l. 9. C. d. testam.* non proprium quid testamentarium testium, sed commune omnium, qui ad actum aliquem celebrandum adhibentur. Non a. sufficit corpore esse præsentem, nisi & animo sint, & voluntatem testatoris intelligant, licet sermonis intelligentiam non habeant, sed sensu percipiant, cujus actus, & rei gratiâ adhibiti sint *l. 20. §. 9. h. t.*

XXXI. Hoc amplius & in conspectu testatoris testimonii officio fungi necesse est, *l. 9. C. d. t.* nec sufficit oculos esse, si forte velamentum interjectum conspectum adimat, licet vocem ejus audiant, sed necesse est vultum ejus videre, ne forte alius vocem testatoris mentiat, sicut ille, qui obrepserat mulieri, simulando vocem mariti, de quo Clar. §. *testam. q. 59.*

XXXII. Rogatos etiam esse oportet, aut saltè alterius rei causâ collectos, ante testimonium certioratos, se ad testamentum adhiberi *l. 27. §. pen. h. t. auth. rogati C. d. testib. d. C. Maxim. §. es ist. auth.* Quæ solennitas, cum sit extrinseca, intervenisse non præsumitur, etsi in testamento scriptum sit, præsentibus testibus infra scriptis, sed probari debet, Nisi additum



& cetera, aut Notarius expressè rogationis fecerit mentionem. Secund.  
Graf. §. testam q. 58. n. 6.

XXXIII. Uno etiam contextu testari oportet, h. e. uno eodemq; die,  
ac tempore, nullo actu ab instituto negotio extraneo, interveniente *l. 21.*  
*pr. v. quod si. C. h. r.* nisi forte talis sit actus, quem ratio morbi testatoris,  
vel necessitas naturæ efflagitet, etiam in testibus. *l. 21. §. f. h. r. d. l. 21. Et l. 28.*  
*pr. C. eod.* aut, si quid super venerit, ob quod aliquis è testib; diutius abesse  
cogatur, alius testis substituatur *d. l. 28. C.* Dummodo inviti non retine-  
antur, quo casu testamentum non subsistit *l. 20. §. 10. h. r.* Quod tñ. ad ipsam  
dispositionem s. materiam, quasi testatori non prohibitu, & diversis tempo-  
bus, testamentum scribere, vel dictare liceret, nõ pertinet; Sed ad solemnem,  
& formalem testandi actum, sive ipsam testationem, seu voluntatis declarationem,  
cum scil. testamentum subscribendum, & obsignandum, testibus in eam  
rem presentibus offertur.

XXXIV. Testium subscriptio, quo primùm Principe introducta, incertum  
est illud constar, jã apud antiquiores, adeoq; a tate Istorum Pauli, & Ulpiani,  
quos Papinianus assessores habuit, eã obtinuisse, *l. 22. §. 4. l. pen. h. r.* Debent  
a. testes subscribere ipsi, non per alium, nisi sint Rustici *l. f. C. d. testam.*

XXXV. Obsignatio arguit scripturam jure Prætorio necessariam fu-  
isse, tanquam obsignationis illius subjectum, cùm J. Civili, quo nec subscri-  
ptio, nec obsignatio desiderabatur, scriptura non omnino esset necessaria,  
Quamquam credibile, frequentiq; ob rei memoriam, scripturam interve-  
nisse, Vinn. *ad §. 3. Instit. h. r.* Utraq; nunc ita necessaria, ut deficiente alte-  
rutra, testamentum injustum sit, *l. 22. §. 4. h. r.* teneaturq; falsi crimine  
tabellio, qui non utramq; adhibendam curavit. *l. 29. in f. C. eod.*

XXXVI. Possunt a. testes non solùm proprio, sed etiã alieno, & omnes  
uno annulo testamentum signare *§. 5. Inst. eod.* cum etiã evenire possit, ut  
septem annuli unã sculpturã sint, veluti si plures ex eadẽ familia ad signan-  
dum adhibeantur, cum agnatorum eadem sint insignia; maxime si nomẽ  
in circumferentia annuli non fuerit appositum. Etiã alieno, qui scil. nul-  
lius est è testibus signare licet: quo casu plerumq; in subscriptione mentio  
annuli alieni adhibiti fieri consuevit. Vinn. *ad d. §. 5. n. 3.* Nec solum an-  
nulo, *l. 22. §. 5. h. r.* sed & alio quovis instrumento characterem habente,  
*arg. l. 1. §. f. l. 4. test. quemad. aper. d. constit.* Maxim. *§. nun die Form /* ubi  
generaliter sigilli mentio sit: Quid enim si idem sit Character instrumen-  
ti, & annuli? quo casu dignosci nequit diversitas.

XXXVII. Ad scriptum testamentum, præter dictas solemnitates, etiã  
subscri-

subscriptio testatoris §. 3. *Inst. h. t. l. 21. pr. eod.* & si testator literas ignoret, vel subscribere nequeat, o status testis ut subscriptor, juxta Constit. Theod. d. l. 21. C. requiritur. Ceterum ex Constit. Just. si testator propria manu testamentum conscripserit, idq; se fecisse in tabulis specialiter expresserit, nihil opus est, vel ipsum, vel alium ejus nomine subscribere. l. 28. C. eod.

XXXIIX. Quib9 omnibus propter testamentorum sinceritatē, ut nulla fraus adhibeatur, addidit Justin. ut per manus testatoris, vel testium, nomen heredis exprimat §. 4. *Inst. h. t.* vel coram testibus nuncupet testator si literarum imperitus sit, aut propter morbum scribere nequeat, & omnia procedant, ut est constitutum d. l. 29. C. h. t. Quæ Justin. constitutio prope est, ut pugnet cum principali fine, ob quem testamentum in scriptis fieri ab initio utile visum est, §. 3. *Inst. d. pupill. subtit.* unde & nomen mystici accepit, collatq; id, quo à nuncupativo differt, §. f. *Inst. h. t. l. 21. pr. c. eod.* Quæ causa videtur, quod id Imperator rursus sustulit Nov. 119. c. 9.

XXXIX. Testamēta, sive quaslibet cautiones, antiqui ferē in ligneis & cetera illitis tabulis, stylo primum ferreo, deinde osseo scribere solebant, unde Prætorum locutio: bonorum possessionem dare contra lignum. l. 19. d. b. p. *contra. tab.* Hodie nihil interest, in tabulis, an chartis, membranisque, vel in alia materia testamentum scribatur; Quanquam Notarii membranisque, sive pergamenis plerumq; uti soleant. Illud non refert, quibus verbis, aut quo genere sermonis, vel lingua scribatur, l. 15. l. 21. §. ul. C. h. t. modo litteris usitatis, & legibilibus, non etiā signis, obscurisque, & inusitatis notis l. 5. §. *fn. d. bon. poss.*

XL. Sed & unum testamentum pluribus codicibus, seu exemplaribus, aut tabulis, conficere quis potest, §. 13. *Inst. l. 24. h. t. l. 1. §. 5. d. bon. poss. ser. tab. l. f. d. his que in testam. delen.* modo omnes sint authenticæ, hoc est, factæ tanquam testamentum, eodemq; tempore, adhibitis omnibus solemnitatibus, completæ. d. l. f. d. *his que in test.* Quod interdum est necessarium, d. l. 24. h. t. l. 10. §. f. *testam. quemad. aper.* Pluribus a. sua testamenta conferre in unum codicem non licet, ne corrumpatur subtilissimum testamenti negotium, Vinn. ad d. §. 13. *Inst. h. t.*

XLI. Sequitur tertium, Intrinsicæ scilicet testamenti forma, seu Res quas in testamento inferi, & cavere oportet, ut firmum, ratumq; habeatur, Heredis institutio, quæ caput *Βάσις*, & fundamentum est, totius testamenti §. 34. *Inst. d. legat.* adeo, ut nec à milite quidem comiti possit §. 1. *Inst. d. testam. milit. l. 1. d. jure codicill.* Quanquam multorum locorum LL. aut moribus ita comparatum esse, ut heredis institutio ad substantiam testamenti, quo sensu hodie testamenta appellamus, non videatur necessaria, testetur Vinn. ad §. *fn. Inst.*

*Inst. d. hered. Instit.* Quam materiam, utpote extra propositum nostrum, jam pertractare pratermittimus.

XLII. Et hæc quidem de testamentis quæ scriptis conficiuntur, sufficient. Si quis a. sine scriptis voluerit ordinare jure civili testamentum, septem testibus adhibitis, & suâ voluntate coram eis nuncupatâ, perfectissimè, firmèq; testabitur J. Civili. §. 14. *Inst. d. testam. ordin.*

XLIII. In quo testamento nuncupativo quædam communia sunt cum scripto, quædam propria. Communia, ut numerus testium, eorum conditio, testationis unus actus, ut testes rogentur, aut admoneantur, cujus rei gratiâ collecti sunt *l. 21. §. pen. h. t.* Propria, quod palam oportet futurum heredem nominare, *p. l. 20. §. pen. h. t.* tum ut testes intelligentiam habeant sermonis testatoris *arg. l. 209. d. V. 5.*

XLIV. Et si ergo ratio testandi per nuncupationem, longè expeditior sit, quam quæ sit per scripturam, minus tamen usitata veteribus fuit, quam quæ fiebat in scriptis testatio, utpote in qua pandere secretâ dispositionis, & voluntatis, non erat necesse, cujus etiam fides subscriptionibus, & signis testium confirmatur, & rata nihilominus manet, etiam si illi decesserint. Nuncupativum vero testamentum à depositione testium pender, quibus mortuis, aut aliquibus eorû, ut pauciores sint, quam requiruntur, qui sisti possunt, irrita fit defuncti voluntas. Cui tamen in commodo postea occursum, adhibito tabulario, qui rem gestam coram testibus scripto excipiat. *Vinn. ad §. 14. Inst. h. t.*

XLV. Diligens illa testandi observatio, tam quoad externas solennitates, ut numerum testium, rogationem, &c, quam intrinsecas, scil. liberorum Institutionem, vel exheredationem, militibus jure militari testantibus, speciali privilegio est remissa, qui in castris, vel in expeditione occupatis quoquo modo, in scriptis sine ullis testibus, per nuncupationem saltem coram duobus, etiam non rogatis, ultimum suum elogium condere possunt. *pr. & §. 1. Inst. d. milit. testam l. 35. l. 40. l. 15. §. 1. ff. & l. pen. C. eod.* Quod privilegium etiam nostri temporis militibus defendimus.

XLVI. Sunt & alia testamenta, seu potius ultimæ dispositiones, in quibus solennitates Juris Civilis remissa: ut testamentum inter liberos *l. 21. §. 1. C. d. testam. l. ult. C. famil. ercis. Nov. 18. & 107.* etiam sine testibus factum, *Grass. §. testam. q. 12.* rusticorum *l. f. C. d. testamentis.* Testamentum posterius, in quo scripti sunt heredes, qui ab intestato ad hereditatem vocantur, *d. l. 21. §. pen.* Quibus Canonistæ addunt testamentum ad pias causas, in quo duo testes sufficient. *C. relatum n. X. d. testam. Clar. §. testam q. 6.* Quo tamen testamentum, quod tempore pestis conditum non referimus.





Quod jus etiam in Nuncupativis testamentis de  
*lit. K. ibiq. Bach. Dd. in d. l. 22. C. h. t.*

XXIX. Numero testes requiruntur septem  
cum J. Civile in testamento per æs & libram qui  
de, & familiæ emtore, vel ut alii, antestato, exige  
*tit. 21. d. testam. §. 1. in f.* Prætor sublatâ illâ emar  
ria venditione, in locum duarum illarum perso  
rus maneret, duos testes substituit: Quod etiam  
rum contigisse, autor est Gajus *lib. 1. Instir. tit.*  
quinarii vid. apud Bach. ad Treut. *vol. 2. disp.*  
tur autem præcise hic testium numerus ad solen  
stamenti, sive cum de substantialibus quæstio est  
defecerit, totum vitietur testamentum in for  
Bach. *d. l.* Qui numerus novissime confirmat  
ximi. de Anno 1512. §. vñd solen/Quamquam  
tamen in terris Imperii non observatur, Clar. §  
*ead. §. q. 56. n. 3*) cum presbytero duo, vel tres  
*testam.* Statuto etiam & consuetudine, minor n  
Mynl. *y. obs. 20. n. 1.*

XXX. Testium præsential. *l. 9. C. d. testam.* in  
mentarioum testium, sed commune omnium,  
lebrandum adhibentur. Non a. sufficit corpore  
mo sint, & voluntatem testatoris intelligant, l  
tiam non habeant, sed sensu percipiant, cuju  
biti sint *l. 20. §. 9. h. t.*

XXXI. Hoc amplius & in conspectu testa  
fungi necesse est, *l. 9. C. d. t.* nec sufficit oculato  
interjectum conspectum adimat, licet vocem  
est vultum ejus videre, ne forte alius vocem te  
ille, qui obpreperat mulieri, simulando vocem  
*testam. q. 59.*

XXXII. Rogatos etiam esse oportet, aut  
collectos, ante testimonium certioratos, se ad te  
§. *pen. h. t. aurb. rogati C. d. testib. d. C. Maxim. §. 1.*  
cum sit extrinseca, intervenisse non præsumitur  
ptum sit, præsentibus testibus infra scriptis; sed p

B 3.

utl. d. h. t.  
eod. Sed  
libri pen  
t. Ulpia  
imagina  
m nume  
ne libero  
n numeri  
Requiri  
tionis te  
anus salt  
d. testam.  
ione Ma  
o, (quod  
2. Grass  
um. esse d  
queat,

quid testa  
liquem ce  
isi & ani  
ntelligen  
tatiâ adhi

iii officio  
elamentu  
ed necesse  
tur, sicut  
o Clar. §.

rei causâ  
niberi l. 21.  
olennitas,  
ento scri  
Nisi addit  
Cæleo

